



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

2. Dei suos alentis exempla è diuinis litteris petita.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45653

tos aggreditur alimentorum curâ; cum iam hunc, iam illum alloquitur: *Dic ut lapides isti panes fiant*; cum iubet omnem lapidem moueri, vt venter impleatur; cum varias artes docet pecuniâ, panis, vini parandi; cum denique à se vult disci, quomodo liberi, vxor, familia, humana vita sit sustentanda, & cum sexcenta hoc genus insanit; gladio aptiore non potest repelli, quàm diuinâ Prouidentiâ Bonitatisque protestatione; quæ clarissimè indicatur illis verbis: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Quam artem etiam docuit Dauid, cum esurienti dixit: *Iacta super Dominum curam tuam, & ipse te enutriet.* Ne puta eum tui oblitum, & ne dicas: *Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Nunquid obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio uteri sui? etsi illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui.*

Matth. 4. 3.

Matth. 4. 4.

Deut. 8. 3.

Psal. 54. 23.

Isa. 49. 14.

Exemplorum affatim diuinâ paginâ subministrant. An non enim primùm hominem in admodum fructifero horto collocavit? An non Patriarchæ Iacob filijsque eius, in summa annonæ caritate, per Iosephum Ægypti saluatorem, alimenta prouidit? An non in ipsa solitudine fontem de petra, panem de nubibus eiecit? & quidem panem sapidissimum? Nam *panem cœli dedit eis, panem Angelorum manducavit homo.* An non, tempore tam diurnæ famis, Eliæ corui deferebant panem & carnes manè, similiter panem & carnes vesperi, & bibebat de torrente? An non eidem postea, per piam viduam, in Sarephta Sidoniorum, de mensa prospexit? An non, quando ipse Christus diabolum à se reiecit esuriens, qui eum lapides comesse volebat, *Angeli acceperunt, & ministrabant ei?* An non vel solorum virorum quinque millia quinque panibus hordaceis & duobus piscibus satiavit, idem Dominus, in loco deserto, vbi neque furnus erat, neque pistor? Hæc aliâque complura diuinâ litteræ prodiderunt. Sed quia exempla, cum delectatione, docent, age, alia ex alijs quoque historijs adducamus.

II.

Pf. 77. 24.

3. Reg. 17. 6.

Matth. 4. 11.

Ioan. 6. 10.

Heribertus Rosveydus vir eruditus, & ab historijs SS. Patrum clarus, ex D. Hieronymo alijsque antiquæ fidei & sinceritatis Scriptoribus, inter varias Seniorum vitas, refert, S. Frontonium, quem Martyrologium Romanum 14. April. Vsuardus & Ado, Frontonem (non illum S. Petri discipulum, Episcopum Petragicum, sed Alexandria Abbatem) nominant, sub Antonino Imperatore, anno tertio decimo Imperij eius, in Ægypto, cum Mundum, tanquam Diomedem hospitium, execratus in solitudinem

III.

Rosveyd. lib. 1. de vita & verbis Seniorum. 14. Apr. pag. 238.